


De Abrogatione Vet. Testamenti Seu Supplementum Ad Tractationem De Foedere Gratiæ : Ejusque Varia Oeconomia

Tubingæ: Ex Officina Johann-Cunradi Reisi[i], [1712]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn892497602>

Druck Freier  Zugang






ca.

107

Fa-1092 (107.)



60.

DE
ABROGATIONE
VET. TESTAMENTI
SEU
SUPPLEMENTUM
AD TRACTATIONEM
DE
FOEDERE
GRATIÆ,
EJUSQUE
VARIA OECONOMIA

Quod
pro Materia disputationis

P R Æ S I D E

D. JOH. WOLFGANGO JÄGERO,
CANCELL. TUBING.

placido examini subicit

Respondens


M. GEORG. BURCKHARDUS *Schwartz/* Degenfeld:
S. S. Th: Stud: in Ill: Stip: Theol:

Ad diem *Februarij. A. M D C C XII.*

T U B I N G Æ ,

Ex Officina JOHANN-CUNRADI REISL.

ARITHMETICA
VET. TESTAM. III
SUPPLEMENTUM
ARITHMETICUM
FOEDERE
GRATIA
VIRI ECONOMI
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO
D. JOH. WOLFGANGO



PRÆFATIO.



Nter summa argumenta favoris & Gratia Divina, erga Genus Humanum est illud, quod benignissimus Deus Salutem nostram per Testamentum firmavit. Licet enim sufficienter nobis fuerit prospectum per Foedus Gratia, quod cum Primis nostris Parentibus, MEDIATORE & Statore Filio Dei, erectum, & quidem statim post lapsum, ne homo in desperationem ob peccata incideret; Nihilominus, ut ostenderet super abundantiam Gratia sua clementissimus Deus, ideoque Foederi Gratioso super addidit Testamenti rationem, ut ex tractatione *de foedere Gratia* luculenter constat; quod ad majorem firmitudinem Juramento & testibus sufficientissimis firmavit.

Comuniter autem dicitur, quod sit duplex Test. Vetus videlicet & Novum Hebr. 8. v. 13. Dicendo autem Novum antiquavit Vetus, ut recte infert Divinissimus Apostolus. Summi ergo ponderis res est accurate scire, quid sit *Antiquatum*, an tota *ratio Salutis*; an dispositio illa *prima foederalis*; aut cur Voluntatem suam tam Sanctam mutaverit immutabilis alias DEUS. An egerit contra *Juramentum* suum, & tam magnos

A 2

testes.

48.
49.
51.
51

testes. Vel quæ ratio fuerit ANTIQUATIONIS. Res, ut facile patet, non est exigui Momenti. Cæcus est in lectione totius *Instrumenti Veteris*, nisi qui hæc Mysteria Divinæ dispositionis penitus callet. Sed opus est *Manuductione Cœlesti*. At non est melior manuductor, quam is, qui populum Israeliticum duxit per mare Erithræum, sicco pede; per inhospita deferta, sine fame; per fervidissimas Arabiæ arenas sine siti, per medios hostes sine periculo, qui est VIA VERITAS, & VITA: cujus ductum etiam imploravit, atque ardentissimis precibus efflagitavit, Rex Summus & Propheta illuminatissimus David Ps. 27. v. 11. Ipsum ut *Viam* si sequamur non erramus; ut *veritatem* si respiciamus, non confundimur, ut *Vitam*, si exoseculemur non morimur, Sed æternum in ipso vivemus.

QUÆSTIO I.

*De Antiquatione V. Testamenti
cur ea facta sit?*

HÆc quæstio dilucidatione opus habet, ne à Veritate aberratur; Ut itaque via ritè præparetur, advertendum est.

Primò, non esse quæstionem, an *foedus GRATIÆ*, quod in Veteri Testamento & quidem in Paradiso statim erectum fuit, & postmodum per ætates Patriarcharum continuatum, ac non raro renovatum fuit, ut tempore Noachi Gen. 8. tempore Abrahami Gen. 17. & certa ratione ad montem Sinai. Exod. 20. an, inquam illud foedus fuerit in novo Testamento *antiquatum*; id enim asserere nemo potest, qui Apostolicæ *definitivæ* sententiæ assurgit Actor. 15. quod *eadem ratione, in vi videlicet Gratiaæ foederis* Salvemur, uti Patres V. Testamenti. Et Paulus 1. Cor. 10. v. 3. 4. ait, quod fideles omnes V. Testamenti *eandem escam Spiritualem ederint & eundem potum biberint*. Quare uti unica est VIA ad salutem, ita unicum in SUBSTANTIA est foedus Gratiaæ, in V. & novo Testamento, juxta illud Zachariæ in cantico

ricó Luc. 1. 68. 70. &c. Ubi ait *Deum* visitasse & redemisse *populum* juxta id quod promiserat per os Prophetarum ad recordandum Sancti FOEDERIS juxta Jusjurandum Abrabamo factum. Non itaque quæstio est de FOEDERE, sed de Testamento, quod superpositum est Fœderi.

Unde porro non est quæstio, an Doctrina V. Testamenti in N. Testamento sit antiquata; contrarium habetur in dicto Christi Joh. 5. qui jussit suos Auditores scrutari Scripturas V. Testamenti; Ipse quoque discipulos Emaunticos ex V. Testamento informavit, ut discerent, quod Christum oportuerit pati, & sic ingredi in gloriam, & Paulus protestatur se nihil prædicasse extra ea, quo Propheta & Moses prædicarunt: Lectio itaque librorum V. Testamenti in hunc usque diem, non tantum utilis, sed etiam plurimum facit ad corroborandam fidem nostram; Cum videlicet cernere licet, quam egregie omnia licet à diversissimis Scriptoribus edita, tam Sanctè conspirent.

Nec tertio quæstio est, an BONA in V. Testamento legata, sint abolita; nam etiam hoc absolutè dici non debet, ne incidamus, in gravissimos Errores Socinianorum, qui fidelibus V. Testamenti nil nisi *Bona Terrestria*, reliquere; ne quidem concessa Spe Vitæ æternæ: Conceditur itaque quod quædam BONA nempe *Possessio terra Canaan*, & quæ exinde dependebant promissiones & benedictiones temporales in N. Testamento fidelibus non amplius sint Legatæ; quia tantum fuere *Umbra & figura Cœlestium Bonorum*.

Itaque id tantum quæritur, quænam rationes & Causæ fuerint, quæ Deum moverint, ut dispositionem circa religionem in forma Testamenti datam, immutaret; Cur Sacrificia sustulerit, Sacramenta aboleverit; Leges quasdam immutaverit; Quasdam nec paucas planè cassaverit: Inconstantia aliàs argumentum est, cum Princeps sua Decrera refigit: Sed cum in Deum per NATURAM & essentiam suam immutabilem inconstantia non cadat; Unde ergo mutationis ratio desumi debet?

Hic ergo inquirentibus in Verbo Dei; Prima ratio occurrit, quod V. Testamentum multa habuerit typica, præfigurantia atque adventurum Messiam respicientia; Ex Naturali itaque

48

49-51

51

ut sic loquar, constitutione id sequi debuit, ut adveniente COR-
 PORE, Umbrae evanescerent: Nam id certum in Natura est,
 quod Sol in Meridie, & vertice constitutus, non amplius vel ja-
 ciat, vel patitur UMBRAS, sicut id quotidie experiuntur ha-
 bitantes sub linea *Aequinoctiali*, & Solem in Vertice habent; Ad-
 ventante itaque SOLE JUSTITIÆ Christo, naturali id conse-
 cutione fuit ut UMBRÆ Typorum cessarent.

Sumatur exemplum ab ARCA FOEDERIS, quæ in V. Te-
 stamento Religionis Israeliticæ potissimum fuit Decus, imò o-
 mnium sacrorum centrum quoddam ac quasi medulla, ad quam
 in omni cultu respiciebatur; coram qua & adorandum & sacri-
 ficandum erat 2. Sam. 6. v. 2. In qua custodiebatur LIBER LE-
 GIS manu DEI exaratus. Deut. 31. v. 26. 27. Dicebatur ARCA
Testimonii, Exod. 26. v. 33. quia testabatur de Fœdere DEI cum
 populo Israelitico. Hæc, inquam, ARCA licet sanctissimum
 Gratia Divinæ pignus erat, nihilominus cassari, imò è memoria
 & desiderio fidelium tolli debuit, ut constat ex Propheta Jere-
 mia cap. 3. v. 16. 17. ubi ait: *Eritque cum auferetis, & satisfica-
 bitis in hac terra, temporibus istis dictum Jehova, ut non dicant
 amplius, ARCA FOEDERIS JEHOVÆ, neque veniat in ani-
 mum; neque recordabuntur ejus:* Ratio hujus abolitionis nulla
 alia assignari potest, quam quod ARCA illa Christum repræsen-
 tavit. Nam sicut in ARCA illa varia inclusa faere; ita in Chri-
 sto *reconditi sunt omnes thesauri SAPIENTIÆ & Cognitionis Dei*,
 Col. 2. v. 3. Qui, sicut in V. Testamento absconditi fuere, ita
 in *Novo Testamento* erant revelandi. Porro, sicut ARCA illa
 ex auro puro & ligno cedrino fuit confecta, ita in persona Christi
 notat geminam naturam Divinam & Humanam: Humana no-
 tabatur per lignum, quod uti est fructus terræ, ita etiam natura
 nostra Humana comparata est. Per AURUM verò notata est
 Divina natura, utpote ex qua non solum omne precium habet
humana natura, sed etiam ex qua omnis gratia, omnis benedi-
 ctio, & divitiæ omnes cælestes in nos defluunt.

Arcae fœderali superimpositum fuerat PROPITIATO-
 RIUM, quod etiam *Typum Christi* Mediatoris & Salvatoris fuisse
 disertè exponit Paulus Rom. 3. v. 25. inquit, *quem Christum*
DEUS

DEUS proposuit PROPITIATORIUM per fidem in sanguine suo.

Sic etiam supra Propitiatorium positus erat Thronus DEI ad quem quotannis accedebat Pontifex Max., ut universum populum per preces & sacrificia DEO propitiaret: Ubi denotabatur, DEUM esse in Christo, & in eo adiri & inveniri placatum, & propitium, adeoque figurabat THRONUM GRATIÆ, ad quem per sanguinem Christi, aditum habemus. Hebr. 4. v. 16. Quin & Thronum Gloriæ ad quem Christus peracto Sacerdotio perfectissimo intravit. *Non enim in manufacta sancta intravit Christus, sed in ipsum coelum, ut appareat coram facie DEI pro nobis.* Hebr. 9. v. 24.

Ista ergò omnia quia UMBRÆ fuere divinitus ordinatæ ad præfigurandum Christum, necessariò cedere debuere illo Sanctissimo Corpore adventante; idque iterum citra ullam *mutabilitatem* ex parte DEI; neque enim DEUS ideo mutabilis dici potest, quia diversæ sunt noctis & diei vices; Ita mutatio non est dicenda, si nox Veteris Testamenti, ad Lucem Novi Testamenti cessit.

Secundò magnum ANTIQUATIONIS V. Testam. argumentum est, CASSATIO Sacerdotii; nam cum Sacerdos V. Testamenti pariter Typus fuerit Sacerdotis magni; unde isto in plenitudine temporis adventante, atque omnia Sacerdotalia per PROPRIUM SANGUINEM consummante, necessum fuit, ut primum Sacerdotium, ceu Typicum, atque in multis imbecille tolleretur. Unde Paulus egregie admodum Hebr. 7. v. 11. 12. 13. arguit. *Porro si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, (nam sub hoc sancita Lex est populo,) QUID AMPLIUS ERAT OPUS, aliud ORIRI SACERDOTE M secundum ordinem Melchisedechi, nec secundum Aaronis dici? Mutato enim hoc Sacerdotio necessario quoque legis mutatio fit.* Ubi Apostolus egregie docet, quod quia Sacerdotium Leviticum non potuerit opus salutis nostræ consummare; ideoque necessum fuisse, ut antiquato isto imperfecto Perfectius substitueretur, idque esse SACERDOTIUM in SS. Trinitatis Consilio in Filium DEI translatum, & JURAMENTO æterno firmatum. De quo David Psalm. 110. v. 4. 7^m

48

49

51

4. Juravit Dominus, nec poenitebit eum, Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

Hic ergo Sacerdos aeternus, per Juramentum in caelo peractum, firmatus, per Incarnationem in mundum introductus, per Sanctitatem illibatam ac Divinam dignissimus Sacerdotio DEO-que gratissimus inventus, per preciosum suum sanguinem ac mortem OMNIA CONSUMMAVIT; ut proin JURE cedere loco & officio debuerit, Sacerdos ex Tribu Levi, hoc est è Sanguine peccaminoso oriundus. Quo iterum respicit Paulus. Hebr. 7. v. 26. 27. Talis inquit nos in N. Testamento Sacerdos decuit qui esset Sanctus, imo Sanctissimus, cui Angeli Ter SANCTUS acclamant. Es. 6. ἀνακτος vitio & malitia omni carens, ἀμίαντος impollutus, non genitus scilicet ex communi ordine matrimonii, ex quo non est purus, qui ex muliere nascitur Job. 14. 1. cap. 15. 16. Sed ex Spiritu S. conceptus, Natus Filius DEI Luc. 1. v. 35. κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν Separatus à peccatoribus, quia licet inter peccatores, quorum gratia in mundum venit, vivens cum illis, tamen in peccato cum iis non communicavit, utpote, ut deleturus peccatum, ut Medicus curans ac purgans Animas à peccato, super quo ut bajulante nostri peccati reatum disciplina pacis nostrae fuit Es. 53. v. 5. Aliior Caelis & qui non necesse habuit quotidie, sicut Sacerdotes Aaronitici prius pro suis peccatis, dein pro populi peccatis offerre. Hoc enim fecit SEMEL in ara videlicet crucis.

Breviter: si Sacerdotium Veteris Testamenti perfectum fuisset, ac Conscientias à peccatis consummare potuisset; tum alio Sacerdotio meliore & longè praestantiore & quidem ex ordine longè diverso opus non fuisset; At fuit opus, ut constat ex locis citatis: Et satis patet ex collatione utriusque Sacerdotii, ut stolidus esset, qui cum habeat jam SACERDOTEM unicum & perfectissimum, vellet adire alium imperfectum, qui ne quidem è numero peccatorum exemptus est.

Abrogato SACERDOTIO, necessario quoque abrogata fuere SACRIFICIA; unde refert Josephus de bell. Judaico lib. 7. cap. 15, Titum imperatorem Sacerdotibus Templo exusto vitam deprecantibus respondiisse, peruisse id, cuius eos gratia

ria merito servasset, decere autem Sacerdotes una interire cum Templo.

Ceterum ABROGATIONIS illius adhuc alia rationes fuere, & primo quidem multa, quæ V. Testamento propria, EX SE & sua Natura BONA non fuere, nec cultus ille rationalis, nec Ex Se ipso DEO placuit. Quid enim pecudum cruor, & quotidiana illa animantium in templo laniena, & fumantium carniū midor, egregii ac sancti habuit, ut DEUS de cælo illa aspe-ctare, istisque veluti dapibus pasci vellet? Non enim in eo ima-ginis Dei, ac sanctitatis ejus, quâ solâ Deo placemus, expressio ac imitatio erat. Ut, nisi aliū hęc spectassent, ipsi ingrata potius quam jucunda sacra fuerint. Saltem nihil in iis erat, quod perennia ea esse juberet, & meliorem in cultum per-mutari vetaret. Unde Dei fastidium sæpe legimus. *An dele-
tatur Jehova holocaustis & sacrificiis, & non potius ut auscultetur
voci Jehovæ? annon obedire DEO est melius sacrificio, & attendere,
adipe arietum, 1. Sam. 15. 22. Quid mihi multitudo sacrificiorum
vestrorum? ait Jehovah. Fastidio holocausta arietum & adipem
pinguium &c. Esa. 1. 11. Non locutus sum cum patribus ve-
stris de holocausto, neque præcepi ipsis, quo die eduxi ipsos ex Aegypto,
sacrificia; sed dixi: Audite vocem meam, & ero vobis Deus. Jer. 7. 22.*

Quin non solum ex sese non bona, sed & expiationi pera-gendæ, quæ sola in iis spectari poterat, per sese inidonea erant. Unde perpetua esse ne quidem poterant. Quod argumentum Apostolus totâ fere ad Hebræos epistola potissimum urget; ubi cultus istius abrogationem ex infirmitate ac imperfectione illius ostendit; idque duplici modo, tum Sacerdotum, tum victima-rum respectu. *Sacerdotes* enim expiationi peragenda & *impa-res* erant, nudi quippe homines, lique mortales, Hebr. 7. 23. & *indigni*, quippe & ipsi peccatores ac polluti, Hebr. 5. 3. coll. 7. 27. 28. *Victima* autem erant irracionales, quarum sanguis ineffi-cax nimis erat, quàm ut conscientiam purgaret. Unde eas quotidie repeti necesse erat, quod prioribus sacrificiis nondum plenè litatum esset. Hebr. 10. 1. Quibus imperfectionibus, quæ univèrsum illud sacerdotium inutile faciebant, & dignior sacerdos & nobilior victima opponitur, in Christi sacerdotio &

B

fan-

48

49

51

fangvine exhibenda. Ut Apostolus latè in epistola illa differit.

Unde, cum Christus veniret, cujus sacerdotio figurando omnis ille apparatus serviebat, ut supra dictum, ultro illum, velut expleto ministerio suo, cessare ac evanescere debuisse patet. Eodem modo uti nocturnæ umbræ, ac faces, ipseque auroræ splendor, jam sole infuso, ac rebus luce reiectis, paulatim discedunt.

Quod & prædictum erat. Per Messiam enim abroganda sacrificia diu ante Deus ipse prædixerat. Illustris autem ante alios ANTIQUATIONIS illius locus est Jer. 31. v. 32. 33. ubi Deus ait: *Ecce dies venient, & seriam cum domo Juda, & cum domo Israel, FOEDUS NOVUM non secundum FOEDUS, quod pepigi cum Patribus eorum, cum eduxi eos ex Agypto &c. Dicendo autem NOVUM antiquavit VETUS.* Ut rectè arguit Paulus Hebr. 8. v. 13. Sic & apud Danielelem dicitur: *In dimidio septimane cessabit hostia & sacrificium.* Dan. 9. 27. *Illo die erunt olla in domo Jehovæ ut pelves aspersoria coram altari: & erit omnis olla in Hierosolyma & in Juda sanctum Jehovæ Deo exercituum: & venient omnes sacrificantes, & capient ex illis, & coquent in eis.* Zach. 14. 20. 21.

Cæterum hæc ABROGATIO facta est non SIMUL, sed per GRADUS. De JURE quidem fieri debuisset, statim adventante Christo; sed ex divino consilio exigua dilatio intercessit. Nativitatem enim ejus, virginisque partum ex lege sacrificio procuratum ac consecratum legimus. Luc. 2. 22. Cumque jam Evangelium prædicaretur, tamen Salvator sacrificare jussit, Matth. 8. 4. quoque animo id fieri deberet docuit, Matth. 5. 23, 24. conf. c. 23. 28. 30.

De jure ergò & FACTO illa primum abrogata sunt in morte Christi per quam deletum est reatus nostri *chirographum*, Col. 2. 14. &, *coercita defectione, consummatis peccatis, ac expiata pravitate, justitia aterna adducta, & viso ac prophetia obsignata, sanctorumque sanctorum inunctum* est, Dan. 9. 24. Quod ostendebat prodigium in templo editum, rupto velo, quod sanctiorem templi partem à priori atrio dividebat, Matt. 27. 51. Sequebatur Spiritus S. effusio super gentiles non circumcisos, sed baptismo solo ablutos in Cornelio, Act. 10. 44.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

*Quaratione Lex ejusq; œconomia,
qua in V. Testamento obtinuit,
abrogata sit.*

HOc punctum iterum Summi est momenti, cujus Principalis Sedes est in illa decisione Authentica Act. 15. Ubi Apostoli, contra falsos illos æmulatores pro Lege Mosaica, definiunt: Non esse amplius in Novo Testamento credentibus imponendum jugum Legis. *Quid, inquit, tentatis DEUM, dum imponitis jugum super cervicibus discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed credimus nos salvari per gratiam Jesu Christi.* Ubi directè opponuntur inter Se jugum Legis, quod in V. Testamento omnes pressit, & Gratia Christi, quæ in Novo Testamento regnat.

Hic ergò cautè incedendum, ne vel in Antinomorum castra transeamus, vel ne in pristinam servitutem legalem, quæ in V. Testamento obtinuit recidamus, & Gratiam Christi, in qua plena est libertas, amittamus.

Triplex autem Lex est, de qua quæri potest, quid *Anæquatum & Cassatum* sit, nempe Lex Moralis, Ceremonialis & Forensis. Et in Lege quidem Morali dicimus quod Primò abrogata sit ratio *Chirographi*, de quo Paulus loquitur Col. 2. Ubi ait, quod Christus Impletor Legis extinxerit *Chirographum* illud, quod omnes etiam fideles in V. Testamento agnoscere tenebantur, SATISFACTIONEM nondum præstitam esse pro peccatis, At verò in N. Testamento expunctum illud *Chirographum* & publicè Cruci affixum est; Quæ sanè magna est MUTATIO in Lege, utpote qua erepta ipsi est exprobratio illa, quod homo fidelis sit sub reatu *maledictionis* Legalis. Quo pertinet illud Rom. 8. v. 31. 32. *Si DEUS inquit Paulus, PRO NOBIS quis contra nos, qui etiam proprio Filio non pepercit, sed ipsum tradidit pro nobis, quomodo non cum illo omnia donabit? Quis accusabit electos DEI? DEUS est qui justificat. Quis est,*

48

49

51

est, qui condemnabit? Christus Jesus stat à partibus nostris, qui resurrexit, & qui ad dextram Dei sedet ac pro nobis intercedit. Hoc sanè dictum omni Solatio Evangelico plenum, duo inprimis magna privilegia assignat Novo Testamento, præ V. Testamento. Nempe quod Actu jam donatus sit Filius DEI Generi humano, & pro Peccatis nostris in Mortem traditus; Ubi Patres V. T. tantum Spem habuere de ista *Donatione*, nondum verò REM ipsam: Et deinceps quod jam habeamus *Intercessorem* in cœlis, fratrem nostrum, *Oratorem*, cujus preces sint efficacissimæ, non consistentes in nudis verbis, sed IN MERITIS INFINITI VALORIS.

Dices; locum Col. 2. non loqui de Morali Lege sed de Ceremoniali, adeoque *Chirographum* illud non respicere Legem *Moralem*, sed *Ceremonialem*.

Respondemus, ita quidem nonnullis videtur; sed nostro judicio præter sensum & intentionem Apostoli Pauli; qui est prædicare beneficia Divina per Christum acquisita, inter quæ potissimum quoque est remissio peccatorum. At verò hæc commemoratio meriti Christi, exiguum habuisset Solatium, si tantum extincta fuissent per *Chirographi* cassationem peccata contra Legem *Ceremonialem* admilla, quæ verò contra Legem *Moralem* admilla, non expiasset. Rectè omninò Seb. Schmidius in Commentar. in Ep. ad Coloss. 2. p. 371. In nostro quoque loco chirographum nihil aliud nobis est, quam *Lex Mosaica scripta*, inprimis *Moralis*, cum qua in ejusmodi disputationibus Apostolus Paulus saltem consequenter includit *Legem Ceremonialem*, quatenus tanquam necessaria & à Mose certo sine scripta urgetur. *Lex hæc litera est*, quæ partim postulat à nobis, partim tanquam necessarium ostendit & præfiguratur, quod nec ipsa dare, nec nos prestare possumus, ut nos, tanquam pædagogus, ad Christum deducat per elementa mundi, quæ habet. Unde apparere potest, quod & *Lex Moralis*, quæ nec dat, quod postulat, nec nos facere possumus; & *Ceremonialis*, quæ satisfactionem necessariam præfiguratur, non autem exhibet, nec in nobis invenit, intelligenda veniat: ut utraque, cum corpus & omnia in Christo solo habeantur, ad Christum deducat. Utraque eleganter dicitur *chirographum*, quia partim

partim in tabulis lapideis, partim in libris Moſis ſcripta, digito DEI & manu Moſis, ita ut nos, quaſi chirographum, obligatos teneat. Hæc B. Schmidius.

Secundum, quod in *Lege Morali* ratione Vet. Teſtamenti fuit antiquatum & extinctum eſt *Spiritus ille Servitutis*, qui etiam apud fideles generabatur, ex quotidiana *exprobratione* Legis. Hoc enim ex *natura* ſua competit Legi, quod *minetur*, quod urgeat ad officium, quodque de pœnarum magnitudine, cum terrore loquatur. Sed minæ pertinent ad ſervos. Unde non potuit non in V. Teſtamento ſervilis quidam etiam apud fideles metus oriri, ut conſtat ex Rom. 8. v. 15, ubi Paulus noviter ad Chriſtum converſus ait: *Quod non acceperint Spiritum Servitutis*, uti olim; ſed quod *Spiritum Adoptionis* in N. Teſtamento ſpirantem acceperint.

Itaque nunc ſpirat *Spiritus Filiationis*, uti ſub V. Teſtamento viguit *Spiritus ſervitutis* ad metum. Rom. 8. v. 15. licet enim Patres eſſent filii DEI, atque eo nomine Domini & hæredes, non differebant tamen à *ſervis*, quoad externam diſpenſationem, ſed ut infantes & minores ſub Legis durâ & rigidâ pædagogâ detinebantur tanquam ſub Tutoribus & Curatoribus, quibus metu pœnæ, & minis ac verberibus potius quam promiſſis & amore virtutis adigebantur ad officium Gal. 4. 1. 2. Unde quamvis *Libertatis jus* illis competeret in virtute fœderis Gratia, & promiſſionum Evangelicarum, exiguum tamen ejus *ſenſum* & uſum obtinebant, Legis minis & jugo *abſolutæ* ſervitutem adſtringentibus, & terrorem incurientibus; quò fiebat, ut ad apparitiones Dei metu percellerentur, & in ore tritum illud haberent, *moriemur, quia vidimus Deum*. Sed in N. Teſt. eſt tempus *libertatis*, quia plenè revelatur fœdus gratia, quò generat ad libertatem Gal. 4. v. 26. In quo promulgatur per Jubilæum Evangelicum libertas captivis Iſa. 61. v. 1. 2. & *Spiritus* non amplius ſervitutis ad metum nobis datur, ſed *Adoptionis*, adeoque libertatis ad fiduciam per quem clamamus Abba Pater Rom. 8. v. 15. ubi *Spiritus Domini, ibi libertas* 2. Cor. 3. v. 17. non tantum *interne* communionis, quæ Patribus non omninò defuit, ſed & *externe* diſpenſationis; non tantum libertas *Filiationis*, quæ etiam infantibus convenit, ſed etiam *Emancipationis*, quæ competit tantum adultis; non tantum

48
49
51
5

quoad *ius* & *usum* ejus ac *sensum inchoatum* & *imperfectum*; sed *totalis* & *perfecta* quoad *sensum* & *usum plenum*; per quam, ut mittuntur in possessionem bonorum, ita plenam eorum notitiam & *sensum* habent ad sui solatium & fidei. *ἡ νόμος φέρει αὐτὸν.*

Hinc tertio adempta quoque est Legi Auctoritas illa pædagogica, dura & tristis quam habuit in Vet. Testamento adeo ut jam in Novo Testamento dicatur, quod justo planè *non sit posita Lex* 1. Tim. 1. v. 9. & Gal. 3. v. 18. asserat Paulus, quod qui Spiritu Evangelico agantur, non *sint amplius sub Lege*; quod ita intelligendum, quod scilicet fideles non sint sub Lege, ut vel ejus justitiam implere, vel ex obedientiæ ejus merito vivere, vel rigorem justitiæ legalis ad vitæ & æternæ salutis consecutionem obire, vel Legis *maledictionem* metuere, vel Pædagogicæ ejus Legalis, qualis ante adventum Christi fuit, inservire debeant.

Hæc quæ hactenus dicta sunt, non eo tendunt, quasi cum Antinomis veteribus vel novis, quos inter præcipuus est *Eutonius Crispus*, Anglus, Legem moralem *simpliciter* abrogatam dicere velimus. Absit longissimè. Aliud enim est *Oeconomia Legalis*; aliud *LEX* ipsa. *Oeconomia Legalis*, quæ in V. Testamento viguit, est abrogata; sed non *Lex*, quæ manet Christianis & fidelibus Regula vitæ & obedientiæ.

Neque obstat, quod Matth. 11. v. 12. 13. dicitur, Legem *durasse ad Johannem*; non enim sensus est, quasi Lex tota sit abolenda & antiquanda adveniente præcursore Christi Johanne, sed tantum, quod sit abolenda ratione *Oeconomix* & metus Legalis, quoad *Legem moralem*, & quoad Legem Ceremonialem, ratione rituum, typorum, umbrarum, & earum rerum omnium, de quibus Lex Ceremonialis disponebat.

Nec vim habet, quod *Crispus* ait, Præconium Evangelii, & *præconium* Legis non posse simul stare: Differunt utique hæc duo in suis *formalitatibus*; nam Lex hominem terret, & minatur; *Evangelium* verò ipsum solatur. Sed tamen in PRAXI hæc sunt conjunctissima. Nulla enim vera pœnitentia datur, nisi ubi hæc duo conjuncta habentur. Unde etiam ipse Salvator noster in prima sua concione Marc. 1. Hæc duo tanquam *INSEPARABILIA* conjungit, inquit, *Pœnitentiam agite & credite.*

Quant-

Quanquam itaque Oeconomia Legalis in quantum V. Testamento propria fuit, sit abrogata, vatium tamen retinuit usum: In statu *scilicet destituto*, ubi homo consideratur extra Gratiam, Lex hominem arguit, & convincit de peccato, & maledictionem intentat: Et tali homini ne quidem denunciandum est Evangelium, hoc est solatium non est propinandum, quamdiu manet in peccatis proæreticis, & quamdiu non est contritus ejus animus.

In *sensu restituto* seu *Gratia* hominem regentium dirigit in viis Domini, ei inserviando instar normæ & regulæ, ad quam se novit per Christum evocatum, & cui omnibus viribus studere debet. 1. Tim. 1. v. 5. Mira itaque hic est diversitas, & tamen summa in praxi consonantia, quod eadem Lex, quæ in impio est *ministerium condemnationis*, in pio & fideli sit quasi *Organum* Spiritus adoptionis, ad *Sanctificationem* promovendam; sic Lex ducit ad Christum, & Christus nos ad Legem reducit. Ducit ad Christum, ut Redemptorem & à peccatis Liberatorem, & Christus ducit ad Legem, ut ad Directricem vitæ. Breviter. Homo, si permansisset in statu integro, fuisset sub *benedictione* Legis, *corruptus* & peccator, est sub *maledictione* Legis. In V. Testamento etiam fidelis, fuit sub *onerosa* Oeconomia Legis. In N. Testamento fidelis & regentus est sub ejus *Directione*, sed sine coactione, motu enim spontaneo aguntur fideles, & libenter ambulant in viis Domini.

QUÆSTIO III.

An, quomodo & quando Lex Ceremonialis sit abrogata?

Lex Ceremonialis, prout hoc loco accipitur, nihil aliud est quam ordinatio divina, obligans populum Israeliticum ad certam formam cultus externi, data non minus à Filio DEI quam Lex ipsa moralis, Mose internuncio.

Hic

48.
49-51.
51

Hic ergò iterum quaeritur, an & quomodo hæc Lex, quæ tam sanctum habet Authorem, & quæ ipsi populo DEI lata est, sit abrogata? Ubi ante omnia est advertendum, quod si Leges istæ ab *intrinseco* spectentur, statim ratione *materia* magna diversitas inveniatur, inter eas, & inter Legem moralem. Nam Lex moralis eâ præscribit, quæ cum ipsa recta ratione summam habent convenientiam, & ubi *obligatio* ad eam servandam eo magis primo intuitu cernitur, quia inscripta est cordi nostro. teste Paulo Rom. 2. At verò tale nihil est in Lege Ceremoniali, sed tota ejus *vis obligationis* est ab *extrinseco*, & à liberrima DEI voluntate, volente Legem hanc certo populo, & in certos fines dare.

Unde facilè abrogatio hujus Legis patet. Nam primò Lex quæ ex naturâ suâ bona vel mala non est, nec relationem habet ad naturam rationalem, nec ex æquitatis fundamento fuit, sed ex solo Legislatoris arbitrio dependet; illa constantiam & æternitatem non postulat, sed abrogari & pro lubitu mutari potest, ut ex se satis constat. At talis fuit Lex Ceremonialis, ut eunti per singulas ejus partes liquet.

Secundò, illa omnia quæ ad observationem Legis Ceremonialis requisita fuerunt, mutationem subiere; unde Lex ipsa mutari quoque debuit; Inter requisita sunt *Persona*, *Locus* & *Res*. Quod personas spectat, Lex lata fuit primariò populo Israelitico: aliis non item, nisi in quantum se jungebant Ecclesiæ Israeliticæ. Sed nunc rejectus est ille populus, & gentes sunt vocatæ ad gratiam. Dicta de vocatione Gentium sunt clara Dent. 32. Lev. 26. Esa. 2. 49. 54. 60. 66.

Locus ubi imprimis Ceremonialis Lex observari debuit, fuit Templum Hierosolymitanum; destructo ergo Templo, & in cineres redacta urbe, ac dispersa per totum orbem gente Judæica, necessario Lex mutari debuit, nec possibile est illam Legem observare; Nec excipi à Judæis potest; Hæc quidem esse irati Dei signa, quæ aliàs passi sint, ut in captivitate Babylonica & Ægyptiaca, ex quibus ut liberati sunt, ita posse etiam ab isto novissimo exilio revocari. Sed frustra hæc dicuntur; quia dispersio præsens Judæorum immane quantum differt ab aliis eorum captivitatibus. Illarum tempus determinatum fuit; sed istius minimè, & tale

rare quidem jam effluxit, ut non septuaginta annorum, nec unius aut alterius seculi, sed jam septendecim seculorum tempus abierit, in quo in suis ruderibus ac cineribus omnia sepulta jacent: Ut ita Prophetia Danielis cap. 9. v. 27. suam verificationem apertam satis habeat, quod nempe juxta *Decretum Dei perennatura sit DESOLATIO*, tum templi tum urbis Hierosolymitanæ.

RES ipsas magnam *mutationem* subiisse patet, non tantum ex eo, quia sacrificia in Lege Ceremoniali *externa* erant, & carnalia; sed in Novo Testamento postulantur spiritualia, sic Paulus Rom. 12. v. 1. ad noviter conversos ait: *Obsecro vos per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra in hostiam viventem sanctam & DEO placentem, iste enim est cultus rationalis.* In quibus verbis illa externa & Ceremonialia V. Testamenti explicantur in sensu *spirituali*; ut ostendatur, quod illa locum in *Evangelio*, quod non bestias, sed humana *sacrificia* desiderat, non habeant.

Caterum inprimis etiam considerationem meretur Lex Cibaria, ejusque ABROGATIO, ubi aliquid speciale occurrere videtur Act. 15. Nam ibi in Concilio Apostolico, ubi inprimis agebatur de ABROGATIONE Oeconomiae Legalis, tamen præcipitur denuo abstinencia à *suffocato & sanguine.*

Hic ergo prænotandum, varios cibos inprimis autem sanguinis & suffocati comestionem fuisse in V. Testamento prohibitam. De animantibus variis ceu immundis prohibitis constat ex Levit. 11. Item de piscibus & avibus. Antiquius est præceptum de non comedendo *sanguine*, statim enim post diluvium Gen. 9. v. 4. ejus legitur prohibitio; Idem præceptum repetitum est à Mose Levit. 3. v. 17. & cap. 17. v. 10.

Nulla tamen Lex citius abrogationem passa est, quam hæc ipsa de *Cibis*, nec ulla *distinctio* clarius & fortius rejecta est, quam inter cibos *mundos & immundos*: Salvator enim noster Matth. 15. v. 11. Generalem regulam ponens, *Quicquid per os ingreditur, hominem non polluit.* Simul ostendere voluit, totam illam *immunditiam*, de qua Levitici est sermo, esse merè *extrinsecam*, non *propriam*, sed ex temporaria Legislatoris impositione derivatam. Unde etiam Paulus Rom. 14. v. 14. 17. sequens vestigia Magistri sui, ait. *Novi & persuasum habeo, nihil esse POLLUTUM per se; Regnum enim DEI non est esca vel potus.*

C

Diffi-

48.
49.
51.
5

Difficultas in hac materia præcipua est Lex de *suffocato* & *sanguine*; de qua, ut diximus, certum est, quod ante Legem Mosai-
cam fuerit lata; & post *abrogationem* Legis Mosai-
cæ, Actor. 15. ta-
men quasi de novo fuerit præcepta; unde etiam *Stephanus Curcel-
laus*, inter *Armini* sequaces haud postremus, magno conatu id
agit, ut ostendat, Legem istam perpetuam esse, & in hunc usque
diem obligare: Rationes ejus sunt satis speciosæ; nam inquit primò:
*Præceptum hoc morale esse indicant, cum singularis benedictio illud
observantibus promissa: tum gravissima pœna transgressoribus ejus
denuntiata, quorum similes præceptis ceremonialibus simul appositæ
non facile inveniunt. De prima Deut. XII. 23, 24. Hoc solum cave ne
comedas, &c. ut bene sit tibi & filiis tuis post te, cum feceris quod
placet in conspectu Domini. De secunda Lev. XVII. 10. Homo quilibet
de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur inter vos, si come-
derit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, &
disperdam illum de populo suo. Hic Maimonidem annotare, quoad
phrasin illam: firmabo faciem meam contra animam illius, illam non
occurrere in tertio aliquo præcepto, præter illa duo, de idololatria &
comestione sanguinis. More Hannev. III. 46. Prohibitionem autem
idololatriæ ad cultum Dei moralem pertinere omnes fatentur.*

Verum enim verò, hæ rationes non concludunt; nam primò, omnia
præcepta DEI, tam *moralia* quam *Ceremonialia* habent adjunctam
promissionem benedictionis, si custodiantur, & comminationem
maledictionis si iis contraveniatur. Sic Deut. 26. v. 17. 18. di-
citur: *Hodie tibi præcipit Deus, ut facias Statuta & judicia ejus, &
custodias ea, & facias ea ex toto corde, & ego Tibi ero in Deum. Ubi
DEUS promittit se fore servanti Legem Ceremonialem, (per statuta
enim Lex Ceremonialis intelligitur) in Deum, hoc est propitium,
benignum, fœderatum Protectorem, imò omnia. Qua sanè pro-
missione vix aliquid majus dici potest.*

Neq; desunt præcepta purè ceremonialia, quæ Deus pari terrore
munivit. Circumcisionem quam Deus serò Abrahamidis injunxit;
*Masculus, cujus præputium caro circumcisa non fuerit, delebitur anima
de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Gen. XVII. 14. Præ-
ceptum de panibus fermentatis tempore Paschæ, donec circum-
ageretur septem dierum orbis, non edendis, Deus gravissima ora-
tione*

tionem sanxit, Exod. XII. 15. *Qui fermentatos panes edit intra septem dierum spatium, ejus anima excindetur.* Eadem gravitate DEUS interdixit esum adipis, quâ esum sanguinis. Lev. VII. 15. *Qui que comederit adipem ex iis jumentis, a quibus effert homo igne absumendum, utique excindetur homo ille, qui comederit à populo suis.*

Sed inquit *Beccmannus*, hanc Legem meritò cenferi PERPETUAM, quia nullibi in Scriptura N. Testamenti legatur, quod abrogata sit; & quia per modum *Necessitatis* Actor. 15. ab Apostolis proponatur, & in eodem gradu cum *scortatione* habeatur.

At si res probè & in circumstantiis suis spectetur, tum patebit, quod Lex illa TEMPORARIA fuerit non perpetua. Tantum enim data, aut continuatio ejus præcepta fuit, ad vitiationem scandalum ne nimium offenderentur Judæi zelotæ, si viderent Gentiles omnes planè ritus Mosaicos negligere, hinc injuncta abstinencia earum rerum quas Judæi maximè horrebant. Unde etiam *libertas* Christiana, detrimentum passa non est, licet exercitium illius ad tempus per charitatem limitatum, & quasi temperatum fuerit. Quo pertinet, quod Paulus Rom. 14. v. 16. 20. ait: *Omnia quidem sunt munda; sed malum homini qui per offendiculum manducat.*

Nec obstat, quod per modum *necessitatis* Lex hæc ab Apostolis fuit sancita, & quod jungatur cum scortationis prohibitionem, quæ omnino juris est perpetui; Quia potest intelligi non ipsa scortatio, sed cibus meretricius, seu pretium scorti, ut vox ἀλισγηματος sit repetenda ἀπό κενῆ, quæ notat pollutionem cibi & potus ex Dan. 1. v. 8. Et si ad scortationem ipsam referatur, non statim sequitur ejusdem esse generis, quia sæpe disparia conjunguntur & moralia cum ceremonialibus, ut Ezech. 18. v. 6. Luc. 1. v. 6. 1. Tim. 3. v. 2. & hîc agitur de *Idolothytis*, quorum abstinencia non ejusdem est necessitatis cum scortatione, quia idolothytis aliquando vesci licet, sed scortari nunquam licet; Possunt ergo moralia cum positivis conjungi, maximè cum talia ejusdem generis esse ex sensu hominum existimantur, quomodo scortatio à Paganis ferè pro re adia hora habebatur vel saltem pro levissima culpa, præsertim apud Græcos, apud quos scortari, ut ait Comicus, flagitium non erat.

C 2

QUÆ

48.
49-51.
51

QUÆSTIO IV.

*De Lege Forenſi, an, & quomodo
ſit abrogata?*

LEX *forenſis*, quæ etiam Judicialis vocatur, eſt ea quam DEUS populo Judaico præſcripſit, ut juxta eam Cauſæ civiles & quæ ad *forum* pertinent, tractarentur.

Circa harum *abrogationem* notandum eſt, quosdam inter Reformatos, cum quibus etiam ſentire videtur noſter *Brochmannus*, ſtatuerent, has Leges non debere cenſeri pro abrogatis, imprimis eas huc referri non poſſe, quæ in naturali jure & æquitate fundentur: Imò cum DEUS ſapientiſſimus Author ſit harum Legum & per eas rexerit populum Iſraeliticum, conveniens omnino eſſe, ut illæ apud Chriſtianos quoque retineantur, & Legibus Romanis *Civilibus* ab hominibus profectis præferantur.

In alterum oppoſitum abeunt Anabaptiſtæ, & hodierni rigidiores Pietiſtæ, qui quories aliquid de Jure Magiſtratus, de pœnis atque ultimis ſuppliciis &c. dicitur, reſpondere ſolent; hæc ad V. Teſtamentum pertinere, quod jam ſit abrogatum.

In media ſententia ſunt ii, qui diſtinguunt inter Leges *forenſes*, *mutabiles* & *immutabiles*, & ajunt, quod quicquid in Moſaicis Legibus immutabilem & perpetuam rationem & naturam habeat, illud *immutabiliter*, *ſemper*, atque omni tempore ac loco homines obliget; Contra quicquid typis permixtum, aut mutationis conditionem & naturam habeat, illud Chriſtianorum conſcientias amplius non obligare.

Alii ſubtilius procedunt, & diſtinguunt in Lege *forenſi* inter id quod *formale* eſt, & id quod eſt *materiale*; Et ſic ajunt, quod *Lex forenſis formaliter* ſpectata, prout ſcilicet data eſt populo *Judaico*, planè ſit *abrogata*; non verò *materialiter* ſpectata, in quantum videlicet conveniant cum Lege naturæ aut in illa fundentur.

Nos dicimus primò, quod omnes illæ Leges forenſes *abrogatae* ſint, quæ typis fuere permixtæ; Ejusmodi enim Leges cum
cauſam

causam habeant temporariam, cum tempore quoque cessasse, & quæ typum vel umbram gessere, adveniente Luce verticali per se evanescere debuisse. Huc referri possunt Leges de primogenitorum Jure, de Asylis, seu receptaculis homicidarum involuntariorum ad mortem usque Pontificis; de cadavere suspensi ante occasum Solis tollendo; de anno Jubilæo; de decimis & primitiis; de terra absolutè non vendenda. De mixtura feminis in agro, &c. Hæc & similia, quia habuerunt rationem typicam, post implementum typi per se expirarunt.

Unde etiam secundò omnes illæ Leges, quæ specialiter respexere populum Judaicum ejusque Politiam, abrogatæ censendæ sunt; destructa enim *Politia*, & *foro* quomodo stabunt *forensia* ejus & *politica jura*; Huc pertinent Leges de ducenda fratria, de familiarum & tribuum distinctione; de hæreditate in alias tribus non transferenda; de servitute Hebræorum servorum temporaria; de simbriis vestimentorum; de agrorum Sabbatismo. Idem judicium est de illis Legibus, quæ ad populi Judaici ingenia & nativam indolem singulariter fuere accommodatæ. Nam ut quisvis populus peculiaris sua studia, inclinationes ac mores habet, ad quæ Legislatores sua imperia & decreta formant; Ita DEUS Judæis populo duræ cervicis, obstrepero, ac pene intractabili quædam indulgit, uti fuit *libellus repudii*, venditio liberorum, potus zelotypiæ, Asyli destinatio, adversus furores vindicum sanguinis &c. Cujusmodi tamen concessionem ita à DEO temperatæ fuere, ut per conditiones adjectas DEUS satis ostenderit, quod partim ex ira, & partim etiam in pœnam fuerint datæ. Idque ob *σκληροκαρδιαν* sive duritiam cordis. Exod. 2. v. 8.

Interim agnoscimus, quod non ita facile sit discernere, quænam *Leges forenses* simpliciter sint *abrogatæ*, & quænam adhuc si non quoad *formam*, tamen quoad *materiam* subsistant. Regula quidem generalis supra fuit indicata, nempe, quod id omne quod habet convenientiam cum *Lege natura* adhuc permaneat in rigore. Speciales verò notas censemus eas. Primò, *Si officia legibus illis jussa ac præcepta communibus notionibus congruunt*; Secundò, *si inter moratioris gentes quasvis obtinent*; Tertio, *Si præceptis Decalogi conformata sint*; eique explicando vel confirmando, *ceu ejus-*

48

49-51

5

dem appendices & confectaria quadam inserviunt: Quarto; Si ad
 ejusdem Decalogi auctoritatem sartam tectam conservandam, & ad
 charitatem atque justitiam inter homines conformem ei, qua in vita
 Sociali & Christiana obtinet, stabiliendam faciunt, atq; adeo si in N. T.
 ita repetuntur, ut illorum observatio Christianis etiam commendetur.
 Nam & quod moratiores gentes omnes recipiunt, ex rationis im-
 mutabilis iis insitæ principiis & dictamine fluere censetur; & quod
 Decalogo, cujus præcepta quoad præcipua moralia sunt, explican-
 do & confirmando inservit, id æquè morale censi debet: &
 quod charitati ac justitiæ, stabiliendæ inservit, id semper &
 ubique & ab omnibus custodiendum est: & quod in Novo
 Testamento Christianis commendatur; id non peculiare Poli-
 tiæ Judaicæ, sed commune Reipublicæ Christianæ existimandum
 est. Hujusmodi leges perpetuæ, & rectoribus Christianis omni-
 bus imitandæ imprimis eæ sunt, quibus blasphemix Dei & paren-
 tum, perjuria, homicidia, scortationes, adulteria, imprimis etiam
 incestus, & flagitia τῶν ἀθέσμων prohibentur, Levit. XVIII. quia
 postremæ hæc ante legem latam gentes omnes, & Cananæos ipsos
 gentiles obligarunt; & propter eas violatæ terra Canaan incolas
 suos evomuit; v. 24. 25. 27. & in iisdem fœditas, confusio, natu-
 ræ quædam averfatio, multiplicationis generis humani sufflamina-
 tio, omnisque ordinis Divini perturbatio manifesta est. Iisdem
 Decalogi, sanctitatis & justitiæ Dei, charitatis erga proximum, ra-
 tionis omnibus mortalibus insitæ principiis inniuntur leges, qui-
 bus Deus constituit, ne aliena contrestentur; ut damna illata com-
 pensentur, pignora deposita restituantur, justæ mensuræ & ponde-
 ra sint, termini & limites ne commoveantur, usuris proximus ne
 expiletur, hæreditates dividantur, & ad proximos consanguineos
 devolvantur; pauperum, orphanorum ratio habeatur; mercede
 mercenarius non defraudetur, in bellis fratribus, amicis, sociis vis
 nulla inferatur: arbores fructiferæ sine necessitate ne excindan-
 tur; subjectis & deditibus se, muliebri imprimis sexui, pueris, pe-
 coribus, parcatur; jus ne inflectatur: iudices ne corrumpantur; per-
 sonarum respectus in judicio ne obtineat; uno vel occulto teste
 nemo condemnetur, talionis pœna adversus falsum testem ne pro-
 cedatur, justis pro injustis ne plectantur; superstitionis & idolola-
 triæ

tria instrumenta ut corrumpantur; prostibula, mendicantes validi-
ne ferantur, & similia. Quæ singula si ad amissum sana rationis,
& ad naturam, quam DEUS *socialem* esse iussit, examinentur &
librentur, æquitatem & iusticiam suam universalem facillè tuentur.

QUÆSTIO V.

*Quis fuerit processus antiquationis
Veteris Testamenti?*

Antiquatio V. Testamenti non est facta simul & in uno quasi
momento, ut in antecedentibus jam tactum est, sed per
Intervalla & Gradus.

Et primus quidem præco ejus fuit, Johannes Baptista, qui
non tantum sapius publicè proclamavit, appropinquarem esse re-
gnum cælorum, sed etiam digito fundatorem Novi Testamenti
monstravit, & dixit: Hic est Agnus DEI, qui tollit peccata mundi
Joh. 1. Quasi diceret, omnes illi agni, imo omnes pecudes quæ
hactenus mactatæ fuere, nec ipse etiam *Hircus Apopompæus*, pec-
cata tollere potuerunt. Hic verò est *Agnus* ille, qui peccata non
portavit tantum, sed etiam abstulit.

Secundò sensim expirare cœpit duntaxat illa Oeconomix Le-
galis, Christo prædicante Evangelium, atque omnes oneratos, &
sub jugo Legis suspirantes ad se vocando, Matth. 11. atque iis
Remissionem peccatorum annunciando, quod factum tum in Pa-
ralytico, tum in aliis.

Tertiò Ceremoniæ imprimis abrogatæ sunt *morte* Christi, nam
omni earum umbratili præfiguratione, & Typica ratione in Chri-
sto impleta, ac sanguine non tantum Novi Testamenti fuso, sed
ipso etiam Testamento per mortem Testatoris firmato, non pote-
rant amplius illi Typi atque umbræ locum habere.

Quartò maximum pondus accepit hæc ABROGATIO per Tri-
umphalem Christi Resurrectionem; tum enim Chirographum mu-
tatum est in Apocham, & plena non saltem libertas parta est, sed &
per totum terrarum orbem denunciatum est privilegium illud N.
Te-

48.
49.
51.
5

Testamenti, & Gentes omnes in Communionem Libertatis fuere vocatae. Et quidem Apostoli ipsi non statim *Libertatem* & insignia Novi Testamenti bona cognita habuere, donec Petrus per cœlestem visionem, de iis edoctus fuit. Act. 10. v. 11. sq. cui deinceps accessit solenne Synodi Apostolicæ decretum; quod scilicet non amplius imponendum sit jugum cervici discipulorū præter paucula pro isto tempore necessaria, nempe ut abstinerent ab iis, *quæ sunt imolata Idolis, & sanguine ac suffocato*, quibus adjuncta fuit *scortatio*, quæ illa ætate pro *re indifferenti* in primis apud Gentes habebatur.


Factum nempe id, quia Judæi, ad Christi Evangelium conversi atque ceremoniis assueti difficulter admodum ab iis abduci poterant, unde ad vitandam infirmorum offensionem, juxta charitatis ac prudentiæ Christianæ regulam, Apostoli aliique fideles ceremoniis adhuc utebantur, non sub opinione cultus aut sanctitatis alicujus, sed ne teneras conscientias vulnerarent, ut jam supra quoque tactum.


Unde quintò, postquam Ecclesia satis fuit informata, quod Ceremoniæ non saltem inutiles, sed & nocivæ essent, quia pugnent cum Libertate Christiana quam Christus sanguine suo acquisivisset; ideoque Apostoli, & in primis Paulus fortissimè id postea egit, ut privilegium istud Libertatis vindicaret, atque plenum ejus usum assereret; Ostendens Christum ejusque meritum infinitum inutile reddi, si quis denuo gravi Ceremoniarum jugo se veller subjicere. Quin reum esse rotius Legis, qui Circumcisionem admitteret. Gal. 5. v. 2. 3. 4. *Ego Paulus, inquit, dico vobis, si circumcidamini, Christum vobis nihil profuturum; Testor enim rursus omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius Legis servanda.*

Deniq; est notandum; quod ABROGATIO hæc non fuerit absoluta CASSATIO, ut nihil fuerit SURROGATUM; quin potius id tantum est *abrogatum*, quod nullam IN SE efficaciam habuit, in ejusque locum successit PERFECTIO, & CONSUMMATIO, Hebr. 8. v. 6. Sic *Circumcisioni* in carne, successit Circumcisio sublimior in *Spiritu*, quæ manibus non fit. Sacrificii staurorum & hircorum, successit sacrificium cœleste Agni immaculati. Sacerdoti mortali, immortalis & æternus; Sanctuario mundano, & manufacto, Sacratium cœleste; Puritati Carnis, Puritas

Conscientiæ.

F I N I S.







Varia
IM

the scale towards document

(II)

§. X.

orum maneat sententia, qui per Tem-
hic parva templa ad formam templi E-
parvo Dianæ simulacro. a Demetrio & o-
ex argento efficta & elaborata fuisse sta-
em in textu nostro præcise est additum,
e notante *Pricæo*, *Δικαιετιμὸς* sumendum
em ejusmodi nugamenta ex auro quo-
mo ligno fieri consueverant, uti ex fu-
aliunde satis constat.

§. XI.

In loco quædam de templo Ephesiæ Dia-
celebratissimo, ejusque structura artificio-
eposita vi magna, donariisque eximiis di-
a pluribus jam eruditis esset præstitum,
n habes apud Clarissimum Virum *Jo. Al-*
in Bibliographia antiquaria Cap. IX. §. 19.
am hic annotasse forte non ingratum erit,
pecunia, quam ex præda comparave-
d Megabyzum deposuerat, extraxisse Sci-
rvum in honorem Dianæ, ad similitudi-
ujus templi Ephesini. Quæ de re ipsus

V. de Expeditione Cyri p. 274. sic scri-
te lubet: *Ἐπειδὴ δὲ ἔφυγε Ξενοφῶν, κατοικῆντι Ἐ*
ἠπὸ τῶν Λακεδαιμονίων οἰκιστὴν τῶν πλὴν
Μεγάβου ἔς Οὐλυμπίαν θεωρήσων, καὶ ἀπο-
ταθήναι αὐτῷ. Ξενοφῶν δὲ λαβὼν, χρωεῖον ἀνεί-
ειλεν ὁ θεός. ἔτυχε δὲ διαρρήαν εἶναι τῷ χρωεῖ
καὶ ἐν Εφέσῳ δὲ τῶν τῆς Εφεσίας Ἀρτέμι-
οῦ μαὸς παραρρῆει, καὶ ἰχθύες δὲ ἐν ἀμφοτέροις
δὲ τῷ Σκιλλένῳ χρωεῖ καὶ θήραι πάντων ὅσῳσα
αἶ. ἐποίησε δὲ καὶ ναὸν καὶ βωμὸν δὴ τῷ ἱερῷ
ὄν ἀεὶ δεκατεύον τὰ ἐν τῷ ἀγρῷ ὠρεῖα, θυσίας
quæ Joh. Lewenklaus ita latine vertit:
esset in exilio Xenophon, ac jam Scilunte ha-
bitum a Lacedæmoniiis propter Olympiam con-
diturus

Image Engineering Scan Reference Chart TE283 Serial No. 031

mm 6 10 15 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180 190 200

inch 0 1 2 3 4

Patch Reference numbers on UTT

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 A20 18 17 16 11

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

4.5 5.0 5.6 6.3